ARX HELICONIA SIDEREIS SVB AVSPICIIS.


A D. ANTONIO ABBATE DE COMITIBVS SFORTIA

SANCTISS. DOMINO NOSTRO

CLEMENTI X.

PONTIF. OPT. MAX.

DICATA.



ROMAE,

Ex Typographia Iacobi Fei Andreę filij. 1674.

SVPERIORVM PERMISSV.

CLEMENTI DECIMO.

PONT. OPT. MAX.

ROMANORVM PRINCIPI CLEMENTISS.
Post BB, PP, oscula Ætern. Felicit.
D. P. O.
ANTONIVS ABBAS SFORTIA.

AD solium Apostolici Throni, vnde Tu SACRATISS. PRINCEPS alter veluti Sol, virtutum satiùs, quam Gentilitio Sidere Coronatus, vastissimo Christianorum

Orbe

Orbe præfulges, me Brachmanorum minimè cætu, verum Magni tui Nominis tantum plausibus constipatum procumbentem sisto; Tuamque vnam interpello Clementiam, ne in tanto radiorum imbre, quo cuncti mortalium Cælum sibi serenissimum auspicantur, me vnum nube indignationis obducta oculorum fulminibus obruas; tanquam de nimium præsumentis audacia pœnam exacturus. Ast quid quæso? Principi longè omnium Clementissimo, Excelso Romanorum Pontifici CLEMENTI X. humillimus adstem, iratumque timuerim, de oris fulgure trepidauerim? Facessere hinc metum profecto scio, quod Tu Pater Beatissime iubeas, vt qui inter egregias tuorum planè ingentium animorum dotes de sola glorieris, solam triumphare velis CLEMENTIAM; qua supremi Orthodoxorum: Principis Caput non eis Coronandum; non enimte latet illa Magni Gregorij Antecessoris tui, *tum calamo*, *tum opere* illustris illa confessio, scilicet *nihil esse*, *quod in Pontificali* ceruice splendidius fulgeat, quam Clementia; subindeque nomen de Cælo inditum nobiliū factorum Cultu decorare semper placuisse,

cuisse, & ad Sanctissimos Pedes, vel in Asylum tutissimum confugientes in sinus Paternos recipere, perbenignè amplecti, amantissimè confouere: itavt merito quidem Marij illud Cæsari dictum, versis nominibus ad Te censeam singulariter vsurpandum CLEMENS, *qui apud Te audent accedere magnitudinem Tuam ignorant*, qui non audent, humanitatem, & Clementiam. Extollant alij Gratitudinis argumenta Prædecessoris Tui Maximi magnos in Cineres Illustrando, cui dum simulacra, dum marmora consecrasti, Tua, vt de Iulio Tullius, ad perennitatem Nominis stabilisti; Vigilantiam Pastoralem laudent, qua ad Ecclesiarum excubias admota lumina sollicitus occupasti. Speculum prudentiæ Te celebrent, vnde in rebus agendis admirabilem dexteritatis claredinem retorsisti: Columnam fortitudinis dicant nullo vnquam Ventorum turbine labefactatam, iteratisque fortunæ ictibus inconcussam: Iustitiæ exemplar Te memorent, qua rectissimum lancem, quocunque in rerum discrimine sustulisti. Telum Diuini honoris com-

§ men-

mendent, in eius ardore carbones ignitissimos Seraphin Te vidimus æmulantem, & à quo ductus quinque fulgentissima Sanctitudinis Astra Catholico Mundo iam miraculorum coma splendentia, Terrarum Orbe Iubilante recens Diuorum titulis coronasti. Vniuersa hæc, aliaque plura singuli Celsissimi Tui animi prædicent ornamenta; Heroem licet; mortalem tandem Te faciunt; Dijs ergo Te proximum volo, quare vnam placet cœteris anteferre CLEMENTIAM erim vero, vt cum Claudiano loquar

Sola Deos æquat CLEMENTIA Nobis.

Hanc tuam prorsus virtutem Maximam, & Diuinam, Beatissime Pater, ingenioli mei partus quidam experiri percipiunt. Aliquot magnorum Principum sunt Encomiastici lusus; quibus nil aliud in Votis, quam Principis Dominantium Vmbram securitate potiri. Patrare igitur CLEMENTISSIME, ac SANCTISSIME PRINCEPS sub ALTERIO SIDERE natos, Vitam liceat sibimetipsis

fortu-

ſortunatiſsimam polliceri, & ad Beatiſsimos pedes ſeſe ex corde demittentes, in ſpe altiſſimæ Protectionis decumbere. Tua interim ASTRA REGNANTIA DIV precor tot ſplendoribus Circumfuſa, quibus in tuis Auguſtiſsimis Vultibus ſeptis Præſentis Maieſtatem Numinis Venerabundus

ADORO.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. de Angelis Episcop. Vrbinaten. Vicesger.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Pal. Apost. Magist.

Illu-

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo Domino

DOMINO ABBATI
ANTONIO DE COMITIBVS
SFORTIAE

Adriana in Arce felix Præſagium.



EPIGRAMMA.

EVge animo, Antoni, Heroũ fortiſſima Proles,
Quęque tot Herculeis Stẽma coronat Auis.
En Leo, Sfortiadũ Spoliũ non vile Laborum,
Hinc tibi ſublimem ſternit ad Aſtra viam.
Non vt ad Elyſium, Tiberis ſed vectus ad Amnem
Cum Ramo Portum poſſit adire tuum.
Vt tibi mox ſua iura Libra præponderet æqua,
Amputet & Gladio ferrea Vincla ſuo;
Aſtrææ, Signo Cuſtos Conterminus, Aureum,
Non Veneri, Pomum porrigit ille ſuæ.

* Si male

Si male Libertas pretioſa rependitur Auro;
  Nunc bene multiplici fœnore damna replet.
Vt reddat tibi Virgo redux Saturnia Regna,
  Aurea non inopi Secula Lance refert.
An non, ſi Triplici Diademate prædita in Orbem
  Tergemino Alterij Sidere nixa venit?
Sex ſunt illa; deeſt ſolus Saturnus, vt Orbem
  Non niſi propitius Iuppiter inde regat.
Nulla ibi præcipitant Errantia Sidera, CLEMENS
  Omnia nam Cæli Clauiger illa mouet.
Dumque Sacras Anno properat recludere Portas,
  Scit tua præualida pandere Clauſtra manu.
Quin Ariadnæam poterit dare Dextra Coronam,
  Quæ Labyrinthæas ſoluit ab Axe Vias.
Soluet & illa Vias, quas obſtruit Adria Moles,
  Quæ priùs extincti Cæſaris Vrna fuit.
Pone metum, ſpem tolle; nouæ Cunabula Vitæ,
  Quę Cinerem, ac Lacrymas clauſerat, Vrna parat.
Hoc quoque parturient Alteria Sidera Fatum,
  Ælia vt Antinous liber ab Arce volet.
Non tamẽ ipſe Aquilę propè Sidus in ęthere Coruus,
  Sed prope CLEMENTIS Sidera Cycnus eris.
Monſtra tamen maiora manent; ibi pectore Vultur,
  Hic Cycnus Orphęam ſuſcitat ore Lyram.

D. Horatius Quaranta.

AV.

AVCTORI
Ex Operis Titulo Libertatem A.
ELEGIA.

IAm noua Thessalicę video miracula linguę,
Et noua diuersas corpora ferre vices.
Ferrea quã vigilum solers custodia seruat,
Et triplici stridet Cardine fulta domus,
Mutatis formis, Musarum euadere sedes,
Cernitur, & lepidos vndique ferre sonos.
ARX nempe Hesperij Rerum moderantis ab Vrna,
ÆLIA dicta, HELICON carmina facta Tuo est:
Et multo custos, qui mœnia gurgite vallat
Tibris, Castalias murmure fingit Aquas.
Non Hecate docuit, non sunt hæc robora Circes,
Colchidis aut sponsæ, Carpathijue Senis;
Sed TV SFORTIADVM Germẽ nõ degener Heros
ANTONI numeris efficis ista tuis.
Nimirum Doctis traducens tempora Musis,
Nubila fortunæ tempora clara facis.
Nubila quæ possunt nigrescere tempora, Carcer
SIDEREIS HELICON si nitet AVSPICIIS?
Colludunt Musæ redimitæ SIDERE Frontem,
Et spirant teneris Carmina ducta modis.
Auspicium teneo: res est certissima, Spera
ANTONI, celeri tempore liber eris.
Ecquem SFORTIACÆ non flectent carmina Musę,
Carmina Threijcio ducta reducta sono?
Carmina si possunt cęlo deducere Lunam,
Cur nõ CLEMENTI SIDERA ab Orbe trahẽt?
Si lapides potuit, potuit si sistere truncos
Orpheus, & rabiem dedocuisse Tigres;
Quin ipsum Lethen, & monstra horrentia Ditis
Nectarea fertur perdomuisse lyra:
TV non inferior, non mentes vsque ferinas,
Non iam tartareas composuisse neges?

Dum

Dum Caneres, vidi suspensas Tibridis aures,
Et stupidum modulis intumuisse sinum.
Crede mihi PATRVI constantia pectora flectes,
Pierijsque notis ad Tua vota trahes.
Blāda manus PATRVI est, licet acris fortè perurat,
Non omnis plectens est inimica manus.
Sæpe vides Medicum ferro, flammisque minacem,
Et tamen & ferrum, & noxia flamma iuuant.
Mens librat humanos, mens omnes dirigit actus,
Et mens hæc PATRVI prorsus amore fluit:
Non his Carminibus præclara per ora volares,
Ni custodirent limina stricta pedem.
Sæpe furor Fati peperit cum nomine famam,
Sæpe fuit duris gloria nata malis.
Quæ Sulmonensis resonaret gloria Cycni,
Si Tomos exulibus non tenuisset aquis?
Quam largam famæ segetem Tibi, docte Boethi,
Cuncta per ora virum Carceris ira tulit?
Adde, quod ad pęnam non est data pęna nocenti,
Et PATRVO, & Mundo non rea vita Tua est.
Quod tamen accendit iuuenili in pectore feruor,
Feruor non cauto currere iussus equo,
Id purgare animo visum fortasse Senili,
Reddere & ętatem spe meliore grauem.
Sic, vt iucundis pinguescant frugibus agri,
Prouidus exurit sæpe colonus agros.
Purgatum satis est, facta est maturior ætas,
Iudicium ingenio subdidit ipsa dies.
Quæ spondes PATRVO melioris munera vitæ,
Exempla aut vitæ lucidiora dare,
Sedabunt mentes, diuturna incendia sistent,
Et Libertatis munera grata ferent. &c.

Carolus Io: ab Iesu Cler. Reg. Paup: Matris Dei
Scholarum Piarum Procurator Generalis.



AD CLEMENTEM DECIMVM
PONTIFICEM OPTIMVM MAXIMVM
VATICINIVM.

Mars furet, Europam iaculatam fulmine Mortis
 Inſanus ferri iam viduauit amor.
Quis dextrã euerſo poterit nũc tendere Mũdo?
 Aut ſciet innumeris inuigilare malis?
Hic DECIMVS CLEMENS ſpes cõſtãtiſſima Mundi
 Vno quo fulta eſt publica Cauſa Duce.
ALTERII Pedibus prono Diademate Gallus
 Cæſar, & Hiſpanus hos dabit ore ſonos.
Parce Parens noſtræ tandem ſiluere procellæ
 ALTERIVM Sidus emicat. ergo quies.
Ergo quis audebit pacis diſrumpere fędus,
 Si Regnum Reges, nos, tua Dextra regit.
Dij modo fęlices annos, & candida præſtent
 CLEMENTI æterna ſtamina ducta Colo.
Vt tu compoſito demum fęlicior Orbe,
 Quæ præſtas alijs otia longa geras.

AD EVNDEM.

EPIGRAMMA.

Viuat ò Viuat CLEMENTIS nomen in ęuum
  Præſidium Cuſtos, Vrbis, & Orbis Honos.
An ſatis eſt nomen ? votis non ſufficit Orbis
  Hoc nobis ſemper non leue Numen erit.
Hic cupit vt CLEMENS metas ſortemque ſenectæ
  Neſciat, & miſera conditione pręmi.
Gloria Chriſtiadum viuat Clementia ; nam ſunt
  Inſcia naufragij SIDERA fata fauent.

LAV.

LAVDES CLEMENTIS DECIMI PONTIF. OPT. MAX.

EPIGRAMMA.

CAeruleum vario preſcriptum Sydere Cælum
Aſtrologus Cernens Tempora facta legit.
Nimirum ſuperis quidquid verſatur in Vrna
Fatorum placuit ſcripta referre Polis.
Sydere Tergemino CLEMENTIS ſtēmata fulgent
Et quid Roma legis? quid tibi Stella notat?
Pyramis inuerſa pertingit cuſpide punctum
Terræ; Sydereo fertur ad Aſtra pede.
Petrus, cum Domino, reiecimus omnia, dixit
Per Cæli, dixit, pergimus Aſtra pede.

4 193 341
CLEMENS DECIMVS
491 570
ROMANVS PONTIFEX
50 30
O. M.

Numerice referens ANNVM IVBILÆI 1675.

EPIGRAMMA.

TEmpora multiplici AEMILIVS redimere Thiara
 Improbat ALTERIVS stĕmatis ASTRA probăt
Eminet at tandem, cumulans præsagia Cælum
 Fatidicum nomen tempora longa refert.
Romulidum CLEMENS Petri nam templa reclusa
 Pandet, nomen ait, Claudet, & inde Pater.
Fausta dies albo, cum sit signanda lapillo
 ANNVM debuerăt ASTRA notare SACRVM.

ELO:

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Si suppl.^ca V. S. compatire
essendoci molti errori
di Stampa; ma ciò
havendoli io Visti; non
ne fò più legare senza
l'errata Corrige.

Il Stampatore è assai Vechio

ELOGIVM.

ALTISSIMO ECCLESIAE
DAVIDI
IN SAPIENTIAE FVNDA, ET LAPIDE
GREGEM DOMINI PROPVGNANTI
REGEM TARTARI IMPVGNANTI
VIRTVTVM CYTHERA EXPVGNANTI
CARDINALI
ALTERIO PALVTIO
IN VITAE ARBORE GEMINATO
GERMINATO
VERAE VITIS GERMINA
DOMINI SABAOTH
VINEAE
TVENTI FVLCIENTI OBVMBRANTI
SALAMONI
SAPIENTIVM CHORO
MILITANTIVM CAETVI

PVRPVRATORVM CAELO
CAELITVS DATAE
INTELLIGENTIAE
IOSEPH
MVNERE OMINE SVPRA HOMINE
RELIGIONIS PATROCINIIS
FIDEI PROPVGNACOLIS
IVSTITIAE MEDIO
PACIS MEDIATORI
IVSTISSIMO
PACE, ET BELLO
ATLETIS FIDEI
ANNONAE SPIRITVS
IVBILATIONIS, ET IVBILAEI
ANIMARVM IVBILO
ANIMORVM
ARBITRO
ANIMABVS, SACRANDIS, ADVOCANDIS
PATRONO
IOSVE
SYDERVM, VIRTVTV̄ LITTERARV̄.
DVCI
CHERVB
GLADIO ANCIPITE
VTRIVSQVE ORBIS, ET
PARADISI DELICIIS
ASSESSORI
CVSTODI
PIISSIMO, CLEMENTISSIMO
CLEMENTIS DECIMI
IN VIRTVTVM DECIMAM
DEO LIBANTIS
CLEMENTIA

HE-

HELIAE SPIRITV, ET PALLIO
COMMVNITO
INVISIBILIS MICHAELIS VIGILANTIA
PATRONO, ET PRAESVLI
VIGILANTI
CARDINALI, ET CARDINI
FVLGIDO, ET FVLCITO CARDINIBVS
HISCE CORDIS OBSEQVIIS
DICAT

DON ANTONIVS ABBAS SFORTIA.

ELEGIA.

BArbara Dauidici Sileant miracula Saxi
  Vnum pro cunctis Fama loquatur opus.
Plusquã mirificus Dauid tu solus in Orbe
  Diceris, ò Princeps, Pręscia Stella fuit.
Petra sit ALTERIVS Regnator Maximus Orbis
  Pontificis Solio, qui bene dignus erat.
Hac petra (ò Princeps) non solum frangitur Hostis
  Scilicet vt Saxo Dauidis ille Gigas.
Sed trahitur Cęlum cunctis rutulantibus Astris
  Quasi Stellarum iam Calamita foret.
Proh. stupor? Electi Populi dux sistere solem
  Fecit: Et ipse trahis sydera lapidibus.
Cingeris (ò Princeps) Stellarum fronte Coronas
  debetur Capiti, sic Diadema tuo.
Quid vult (ò Princeps) quando per somnia Ioseph
  Prostratas Stellas, aspicit ante Pedes?
Quid? Nisi prostatum Cęlum radiantibus Astris
  Scilicet obsequium præstet, vt omne tibi?
Hoc Cælum resera Sanctus dum venerit Annus,
  Vt mihi Clementer Cælica dona pluant.
Quippe Eliseus ades, duplex Regnanti Eliæ
  In te sit Spiritus, Vestis, & ipsa datur.

O' Mi-

O' Michael fortis, Vires qui conteris Hostis,
Et Propugnator summus in Orbe manes.
Lumine si Magi lumen Cęleste requirunt,
Pręstat Principibus iam tua Stella ducem.
Ecce tuis (Cherub) Mundum velut ense gubernans
Syderibus seruas solus in Orbe Pacem.
Cur nomen dederit simul, ac PALVTIVS, Ortù
ALTERIO Hęroi Mistica facta reor.
Hic PALVS modicus crescens ad Sydera Cęli
Fit Virga: Et totum tangere sidus habet.
Hæc quoniã Virga, aut PALVS geminatus adhęret
Syderibus dicam, quod sit vterque Polus.
Si Polus Articus est, necnon Antarticus iste
Iure tuus Cæli sydera Polus habet.
Huic ergo PALO, merito nunc Vinea Christi
Iungitur, vt Vites fructificare queant.
Me fac ergo tuo coniungi denique PALO
Cernere fac Stellas, atque tuere Polo.
Quid Polus iste, nisi Regnantis nobile Sceptrum
Regnator Sapiens Vrbis, & Orbis eras.
Indicat. huic Sceptro quod mundus flectitur Esth.
Assueri Sceptris oscula dando pia.
Aman sunt Turcæ. (te Assueri nomen habente)
Mardocheus erunt Agmina Christiadum.
Interea Princeps clamantem protege Sceptro
Protege Clementer, Protege Summe Pater.
Omnem si superas Regem; te Iudice Mundum
Astris fęlicem, quis neget esse tuis.

TIBERIS
AD SANCTISSIMVM PONTIFICEM
CLEMENTEM
DECIMVM.

PROSOPOPÆIA.

DVm Tiberim celso contemplor ab aggere visus
Implicitum calamis tollere ab omne caput,
Ducere festiuas choreas, & fulgure risus
Ora serenare, ac tangere fila Lyræ,
Et circumfusas hiderat dum carmine Ninphas
Tollere CLEMENTIS nomen ad Astra Sacrum.
MAGNE inquit PATER E MAGNO QVI FLVMINE TERRIS
Promissus, Tiberis gloria magna tui es,
Per te non Tagus; aut Rodanus, non sæuus Orontes
Non certet nostris aurifer Nermus Aquis.
Decedat Tiberi Oceanus, cunabula magno
Terrarum Patri, nam mea Roma dedit.
Cęlestis cedant exorta à Fonte Vireti
Flumina, nam Cælum nunc tua Roma refert.
Et referet magis, occluso cum limine Iani
Pandent Cęlestes aurea templa fores,
Instant post quintum felicia Tempora lustrum,
Lustralis terris queis sacer Annus init.
Cum Tu tergemino cinctus diademate crines
Cælum ipsum dextrà qua reserare potes,

In

In Vaticano recludes limina templo,
Certa quibus populis semita ad Astra datur.
Tunc non Europæ tantum qui Flumina potant,
Ast Asiæ, ac lycæ quos alit humor aquę,
Quos, & Amazonio ditissima flumine lactat
AEmerica, ad Tiberim confluet vnda virùm.
Dumque Tuis figet Cælestibus oscula plantis,
Quodque sacro spirat, cernet, ab ore Iubar:
Hic certè est, dicet, præfulgens Lumen Olimpi,
Qui tam grande sui Numinis istar habet:
Qui Cælo affixus mentem noctesque diesque
Conciliat terris per pia vota Deum.
AEthereaex aula regnandi discat vt artes,
Nocte ferè tota, consulit Astra vigil,
Quæ Numa mentitus quondam consortia Cęli.
Quæque Minos, legum conditor atque solon.
Hæc CLEMENS habet. Hinc olli turbare sereni
Nulla animi regnum, sors inimica valet:
Hinc olli arridet semper pellacia mentis;
Hinc precibus calcat fata maligna Sacris.
Transigit hinc Insons diuorum moribus æuum
Ipsa etiam hos mores suspicit inuidia.
Hinc inhians tantum regni immortalis honori,
Repulit, obtulerunt qui diadema, Patres:
Reiecit triplicis Cęlestia serta Thiaræ:
Horruit, & cęlsum tollere in Orbe caput.
Ast illum euerso superi succurrere seclo,
Et voluere Sacræ flectere vela ratis.
Romano nondum fuerat conspectus in ostro,
Quando illi regni Vrbs omina certa dabat.
Euenere. Sacras regni nunc flectit habenas,
Inque aurum reuocat ferrea secla vetus.
Lustra decem Sanctis moderetur legibus Orbem,
Et vincat Pylij tempora longa Senij.

Illu-

Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus Dominus
BEVILACQVA
ROMAE GVBERNATOR,
Nobilem Captiuum è Vinculis ſoluit.



EPIGRAMMA.

Alluditur ad Alam Inſigne eius Gentilitium.

CVM premerer clauſus, cęcis, vt Dædalus, antris
Nec tamen optatum cera doceret Iter,
Gentili accurrit BEVILACQVA benignius Ala
Qua nixus rupi vincula dura volans,
Quæ tibi tunc grates, quæ munera digna ferentur
Nobilis Ala; meæ magnę ſalutis honos?
Iſtud munus erit: Virtute euecta per auras
Purpureum referes ſolis ab Orbe Iubar.

AD EVNDEM.

QVod Natos, patriçque domus optata reuiſam
Limina iam liber, tu BEVILACQVA facis.
Quæ mihi donarunt ſuperi, tu perdita reddis
Ergo mihi poſt hac tù reparator eris.

DE EODEM.

CEdat Ariſtides quanquam cognomine Iuſtus,
Hæc melius iuſti nomina Præſul habet.
Hic æquo librans Aſtreæ pondere lancem,
Impoſuit miti Carcere frena Viro.
Præſulis at magni tanta eſt Clementia; longo
Vt non ſuſtineat Carcere membra premi.
Nec mirum, volueres geſtat qui inſignibus Alas,
Pennas, non pedicas, nec ſera vincla dedit.

DE EODEM.

CVm BIBIT Iris AQVAS, & carpit Sole Colores
Ne timeas, Blandæ nuncia Pacis adest.
Carcere funesto premeris Vir Clarè? timendum
Non est, hic Præsul nomina Pacis habet.

AD EVNDEM.

INgenium, moresque tui nomenque Susurro
Dulcius, è Vitreo fonte Carentis AQVAE,
Sunt Index placido sub Corde latentis Amoris,
Et mostrant quæ te Cura benigna coquat.
Captiuum soluis; quid mirum? haud marmoris Atri,
Sed præmollis AQVAE nomina Præsul habes.

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM

D. GASPAREM ALTERIVM

SANCTISS. D. N.

CLEMENTIS X. NEPOTEM,

ET PONTIFICIORVM ARMORVM DVCEM GENERALEM.



EPIGRAMMA.

NOn adeo incensus fuit olim Daphnide Phębus,
Quæ viride explicuit laurea virga nemus;
Vt Lauram castè Proceres arsere Quirites,
Quos inter, PRINCEPS, aurea Poma refers.
Te legit AEMYLIVS, cui sunt commercia Cœli,
Et qui per noctem consulit Astra vigil.
Maiori haud poteras palmam sub Iudice ferre.
Te, reor ipsa etiam Numinis aula legit,
Tunc erat AEMYLIVS non dū sic summis in Orbe
Consultor Cœli semper at ille fuit.

IN

IN EODEM
EXCELLENTISSIMO PRINCIPE
ALTERIAE, ET PALVTIAE
STIRPIS FOEDVS.



EPIGRAMMA.

PRoles Heroum, quos martia Sceptra, latini
  Lux Oſtri, ac diuum laurea Sacra beat;
Præclara exoreris ſulgens ex Arbore ramus,
  Inſerit, atque alij Te generoſus Hymen.
Aurato nituit, quę plurima ſæcula diues
  Vellere, quæ celſis fertur in Aſtra comis,
Cur in te Stirpis, Cœlum quę vertice lambit,
  Vtriuſque nitor, nobile fœdus init?
Namque in Te dotes conſpirant, quæque beatos
  Diuiſę efficiunt, vnus habes Charites.

EXCEL-

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
D. ANGELO ALTERIO
PONTIFICIARVM TRIREMIVM
PRAEFECTO.



EPIGRAMMA.

QVæ ſubigunt Pontũ, dũ vela Triremibus addis,
Contrahis Ipſe animi vela modeſta Tui.
Te blanda immenſum in pelagũ non prouehit aura,
Rideat illa licet, littora tuta legis.
Puppibus haud tantum faciles immittis habenas,
Quæ per Neptuni Cœrula regna meant.
At fauſtum es cunctis Sydus, qui fluctibus Aulæ
Iactati ſcopulos, naufragiumque pauent.
O' vtinam optanti poſt tot diſcrimina portum
Noſtræ etiam, PRINCEPS, ſis Cynoſura rati.

AD EVNDEM
EXCELLENTISSIMVM
PRINCIPEM.

EPIGRAMMA.

QVam bene sidereę fingunt Tibi nomina mentes,
 Quas etiam innocuis moribus Ipse refers.
Nil Tumidum spiras, Priuata fronte retenta
 Te Clauum Imperij flectere ROMA videt.
Dissimulas vires. Sic alta volumina Cœli
 Nunc circumagens ANGELVS usque latet.

AD

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM DOMINICVM VRSINVM DVCEM GRAVINAE SANCTISS. D. N. CLEMENTIS X. NEPOTEM.



EPIGRAMMA.

QVę Tibi pręclaro regnant in ſtēmate, Princeps,
 Dum loqueris pulchro fundis ab ore ROSAS,
Mellea nectareis manant ex flumina labris,
 Sunt madidi mores, nectare, ſunt oculi.
Innube eſt frontis Cœlum; ridentia ſemper
 Sidera, quæ dulci pectora luce beant.
At non magnanimo Maieſtas Principe digna,
 Nec vigor, & robur, conſiliumque deeſt.
Iure ſibi Te Parthenope pulcherrima Siren
 Vindicat, ac dicit maxima ROMA ſuum.

AD EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM

AEGIDIVM COLVMNAM

SANCTISSIMI D. N.

CLEMENTIS X.

NEPOTEM.



EPIGRAMMA.

IN Te noſtra etiam ſpes inclinata recumbit;
Martia cui niſi Roma, COLVMNA, ſolet.
Te victæ ſpolia Aurorę, Te rapta Trophea
Purpura te decorat, Te Diadema triplex.
Celſior in Cœlum non tollitur arduus Atlas,
Quam Tuus ad Cœlum fronte feratur apex.
Quis nũc; Te Athlātē, Princeps, vicina COLVMNÆ
ALTERII Cœli dum videt Aſtra, neget.



Ad Illu-

Ad Illuſtriſsimum Dominum

ANGELVM DE MAXIMIS

SANCTISSIMO DOMINO

CLEMENTI DECIMO


SANGVINE IVNCTVM.



EPIGRAMMA.

SAnguine ab ALTERIO cui iũgeris ANGELÆ maius
Duc nomen, pluſquã MAXIMVS eſſe potes.
MAXIMA quæque ſuper potes ire: es celſior Aſtris
Aſtrorum Dominis proximus ALTERIIS.

Ad Illuſtriſsimum Dominum MVTIVM DE MAXIMIS.



EPIGRAMMA.

PLurimus in ſorti cui pectore Scæuola feruet,
Muti, illaudatus prætereare mihi?
Si te non caneret laudati dextera Muti
Quam iam fortis, iners tam mea Muſa foret.

Ad

Ad Illuſtriſsimum Dominum
FRANCISCVM
DE MAXIMIS
Egregium Bellatorem, ac Sæpius Ducem.




EPIGRAMMA.

DVm FRANCISCÆ, tuis pēdētia cōſpicor armis
Arma Paræthonias tundere nata minas,
Dum Ducis ingenium miror, vox excidit ore
Effunde Annibales Africa terra tuos.
Patria parce, pium nam votum eſt: Maximus vnus
Ne dubita, plures frangeret Annibales.

AD

AD EXCELLENTISSIMVM FEDERICVM ANGELVM PETRVM DONATVM CÆSIVM AQVAESPARTAE DVCEM PATRVVM,



EPIGRAMMA.

PRincipis exemplar cupidus cognoſcere veri
  Inſpiciat CAESI ſplendida geſta Ducis;
Cæſareum decus, Angelici ſunt pectore mores,
  Nobilitas animi çum pietate pari.
Quod natis careas, meriti Tua Gloria culpa eſt,
  Vt Natura parem det Tibi ſudat adhuc.
O Vtinam vireat tam multo germine Stirpes
  CAESIVS, vt guttas Tybridis æquet Aquę.

AD REVERENDISSIMVM PATREM

IO: PAVLVM OLIVAM

SOCIETATIS IESV GENERALEM.

EPIGRAMMA.

SEu Sacra flexanimi contendis pulpita Voce,
Quod PAVLI eſt propriũ, mẽtes, oculoſq trahis
Seu tumida mentes agitatas flectis Erynni,
Continuo fluctus dira procella dremit;
Dum regis Imperio LOIOLÆ ſubdita Caſtra,
Iam LOIOLAEO Spiritu, & arte regis:
Nullibi non felix nulli vlla in parte ſecundus,
Vndiq; Virtutem miror OLIVA Tuam,
Et quis tam multa cernens Te dote Coruſcum,
Palladium germen Te meruiſſe neget.

AD
LVCAM TOMASSINVM
SACRI ROMANI IMPERII NOBILEM
Patritium Ripanum,

Ex Collegio Archiatrorum Vrbis Medicum Peritissimum, cuius ope morbo euasit.

EPIGRAMMA.

VIribus effractis eneruí corpore, Summum
  Est mihi fatalis Parca minata diem
Accurris LVCAS diuina prouidus Arte,
  Non expectata membra mederis ope.
Noctis vt effugiunt Phæbo exoriente tenebræ
  Sic morbi manibus terga dedere tuis.
Restituor Luci Docti medicamine LVCÆ
  Et videor vitæ munus inire nouæ;
Quæ nullius erat gelido deuota sepulcro
  Nunc virtute Tua vita renata tua est.

AD EXCELLENTISSIMVM DVCEM

LVDOVICVM SFORTIAM

FRATREM.

Cuius opem aduersis rebus implorat.

ELEGIA.

Hinc, vbi congestis, Celsa iacet Ælius arce
Ossibus & plantas, Tibridis vnda rigat:
Excipe quã missã Tibi LVDOVICE salutẽ
Perfert fraterna littera scripta manu.
Protinus auctorem noscens, fortuna docebit,
Cuius perfidia notus vbique vagor.

Iam

Iam decimum video rursus sæuire Decembrem,
Ex quo ferrato cogor inesse lare.
O quot fatali mitto suspiria Cœlo,
Surda meis quoties; quæstubus astra voco,
Vndiq; circumstant sublimia mȩnia Turris,
Et custoditum Miles vtrinque cauet.
Admoueo, repertoq; gradum, sed semper ibidem
Terdenos passus vix numerare licèt.
Si modo contemplor campos, & ludicra prata.
Quam cruciant animum prata negata meum.
Si modo quȩ transit speciosi pegmata pontis
Inspicio turbam, quantus & inde dolor,
Sic sæpe inuideo quibus aspera iussit ȩgetas
Emendicato pascere mēmbra cibo.
Qua libet, hi currunt, libertas ditior auro est,
Sed lenire mihi, quid mea vincla potest?
Hinc quandoq; furens, subito impellente furore,
Sæpè dedi rapidis effera verba notis,
An ne ego sacrilego violaui limina ferro,
Quæ Vaticana sacrat in Arce Petrus.
An Patriȩ excidio struxi molimina? & Afris,
Fȩdera pollicitus proditionis ero?
Increpo, sed linguam obsequiosa silentia præstant,
Inque meum innocuum crimina verto Caput.
Sim quamuis insons sontem, me Iudice fingo.
Etque non merui iam meruisse puto.
Omnia quin meritis præferre minora fatebor,
Dummodo sit Patruo tanta luisse satis.
Quȩ solet excelsas placet tollerantia mentes,
Dumque nihil contra molior, ira cadat,
Magnanimi, fateor, fortunæ fulmina vincunt,
Sed quoque magnanimi in superante ruunt;
Fert Eous ȩquus gibboso pondera dorso,
Si nimium pondus comprimat ipse ruit,

Iam

Iam quaſi proſtrata eſt animi conſtantia noſtri.
Hæc niſi quem moueant, truncus habendus erit.
Atque vtinam Truncus fierem, vel ſaxea moles,
Nil ſentit truncus, ſaxa dolore carent.
Accedunt Vires, quæ morbi robore fractæ,
Vix tenui fumo corpus inane regunt.
Proxima iam lacheſis minitata eſt funera rurſus,
O ſi perficiat non minus alma minas.
Mors breuis exuperat lacrimoſæ tędia vitæ,
Quid, niſi mors dirè continuata dolor?
Vna eſt in TE SFORTIADVM generoſa propago
Sanguinis & noſtri non mediocre decus.
Vna in Te Spes ſi tantum finire laborem
Poſſim, Tu Medicus, Tu medicina fores,
Quanta TIBI pietas vigeat clementia, quanta,
Iam noui, faueas, admoueaſque manus.
Magna Tuis regnat verbis, factiſque poteſtas
Te precor ergo velis, & voluiſſe ſatis.

AD EXCELLENTISS. D. FRANCISCVM FRATREM

DISTICON.

SFORTIADVM, stupuit quā per tot secula mūdus
Virtutem, Vnitam fortiùs vnus habes.

AD ILLVST. & REV. D. ABBATEM MASSIMVM FRATREM.

DISTICON.

INdolis Excelsę Frater, Tua gloria tanta est,
Ne laus, si possim, sordeat ore meo,

AD EXCELLENTISS. D. FEDERICVM FRATREM.

DISTICON.

OPpresso FEDERICE mihi es testatus amorem,
Incolumi liber fac Tibi tester ego.

AD REVERENDISS. P. RAYMVND. CAPISVCC. S. P. AP. MAG.

DISTICON.

CVm Tu cuncta probes CAPISVCCHE Volumina, succum
Virtutis Capiti quis neget esse tuo?

AD D. CAROLVM ORILIAM SVÆ CAVSÆ PATRONVM.

TETRASTICON,

PRo me dum ponis doctissime Orilia Causam,
Impositum finem, quæ fero, cerno malis.
Vt linguę, aut calami miranda oracula stringis,
Robore Pellęo vincula nostra cadunt.

AD EMINENTISS. CARDINALEM
DE COMITIBVS
ANCONITANVM ANTISTIDEM,

EPIGRAMMA.

PVrpurei Splendor, columenq; insigne Senatus
Præsule, quo felix Doridos vnda salit.
Quanta TIBI est forti prudentia pectore, quanto
Commissum Fidei pascis amore Gregem:
Ad maiora datus, populi nunc flectere partem
Discis, vt imperio lictore vtroque regas.
Sic AQVILE est teneros oculos assuescere Phębo,
Grandi vt obtutu viuidiore ferat.

Eminentiſs.^{mo}, ac Reuerendiſs.^{mo} Principi

FEDERICO
CARDINALI SFORTIAE.

ANTONIVS ABBAS SFORTIA EIVS NEPOS
Salutem plurimam dicit.

QVã de Te ſperat, Tiberina ex Arce ſalutẽ
Infelix mittit, Patrue Magne Nepos (rire
Perlege: Nõ ſueuit manibus diſcerpta pe-
Si qua vel inuiſo litera ab hoſte venit.
Carmina quod pangam, vicini Tybridis vnda
Miratur, ſacer, & fluminis ipſe Pater,
Illa quidem haud animo veniunt, quę ducta ſereno,
Oſtendunt meſti temporis ore notas.
Seceſſum ſueuit ſcribentis amare tamena;
At non hunc, quo me Carceris horror habet:
Triſtibus Aonias numeris tentauimus artes,
Admoneant quò Te carmina ruſtra mei.

Anne

An ne TIBI excidimus, miseri, nec nominė rusti?
 Hei mihi si dicas; non meus ille fuit.
Ah! ne Te capiant æterna obliuia nostri,
 Neve tuo æternum dicar ab ore reus,
Nulla heu nostrorum fuerit mensura malorum?
 Nunquam erit heu cordis mitior ira Tui?
Quas Tu damnasti, haud ausim defendere noxas,
 At scis, à noxa crimen abesse mea.
Me feruor primus, Iuuenilis, & abstulit error;
 Ignis at in cineres nunc sedet ille suos.
Da veniam culpæ, peperit quam stulta iuuentus.
 Nil ergo labi detrahet illa meæ?
Atque omnis fuerim quamuis non criminis expers,
 Mentitus de me plurima liuor erat.
Non quęror ob pœnam; dextram ferientis adoro:
 Osculor atque tua fulmina missa manu.
Perpetuo at dignum me carcere finge męrenti
 Supplicium, veniam sæpė dat alma Themis.
Non vno pœnam lustro protraximus. Esse
 His contenta potest mitior ira malis
Ferreus es? TIBI erant mores, ac pectoris aurei.
 Et miserum lenta, conficis vsque mora.
Vince animos, iramque precor. Mihi lumina manāt
 Ante tuos iaceo, supplicis ore; pedes,
Auguror his, flecti precibus tua pectora. Nec Te
 Incarsum Patrui nomen habere, rear?
Amissæ mea non laniant nunc pectora garæ,
 Commodaque, haud humilis delicięque domus,
Sed quod Te caream, vita ò mihi carior: ac Te
 Dum careo, videor parte carere mei:
Vt superas pretio, haud superes adamanta rigore.
 Te frangrant lacrymę. Est cordis, & istė cruor.
Candorem posthac labes non vlla notabit,
 Quo ducum innocuos ad mea fata dies;

Huc

Huc vſque errori merces nam debita noſtro,
Quæ fuit, edocuit, me dare vela retis.
Ipſe etiam multis iuuenilis præfuit error,
Quem melius poſt hac obruit acta dies.
Ipſum etiam crimen laudem quandoque deceram,
Quod redimit virtus magna: referre poteſt.
Exolimur fatis Mortalis turba ſiniſtris:
Quæque nocent, homines ſæpius illa docent.
Si data delendi mihi criminis anſa redemit,
Hic dices, meritis facta priora nouis,
Si fallo ad fontem tunc Tybridis vnda redibit.
Inſolitum Phœbi, currus iuibit iter:
Naſcentur pontu Segetes, & arabitur Vnda,
Audax vellivolo curret in axe raxis,
Si fallo, Nemeſis tunc, imprecor, ac Tua ſemper
Noſtrum ſupplicijs obruat ira Caput.
Si fallo, Æternis tunc me damnare tenebris
Caucaſęoque antro, Cimmerioque Velis.
Ælia nunc moles totam qua conſpicit Vrbem,
Quæro oculis ſemper proxima Templa Petri:
Ac dico: Sacra pandetur cum Porta ſalutis,
Ex qua ſidereas detur adire fores;
Vicine incarſum nobis ò Ianitor Axis,
Non tua ſunt pedibus Templa adeunda meis?
In medijs ſitiam veritas heu fluctibus vndas?
Tantalus? Heu lenta macerer vſque mora?
Perpetue, niſi terrerent diſcrimina mortis,
Sedarent noſtram pota venena ſitim.
O vtinam aſpiceres, quæ noſtri forma doloris,
Quæ nos inficiat proximæ imago necis.
Viuimus aſt animus vitæ ſibi neſcius hæret,
Ceu prope quem lapſi fulminis aura quatit.
Heu miſerum. Tacito paſſu labentibus annis
Paulatim emorimur, conficit ipſe dolor

Nec

Nec mortem licet optare, Heu ſolatia cunctis
Conceſſa hæc nobis, impia fata negant
Eſt mihi vile mori; mortis me infamia terret
Inuiſus Patruo, ſi perijſſe ferar.
Tu potes extinctum reuocarē ad lumina vitæ.
Heu mea ne vllo pondere verba cadant.
Tu noſtræ ductor fidus, Tu ſidus, & aura,
Remigiumque rati, Tu quoque portus eris.
Tu libertatis vindex optatę, nec ipſe
Reſtitui, niſi Te reſtituente, velim.
Irato haud poſſum Te felix eſſe, nec opto
Te mihi pacato, non miſer eſſe queo.
Vincula ſi ſoluas, fauſti ſpem nominis addens
Famæ in regno, erit hoc muneris omne Tui,
Sic vitam inſtituam, ne poſthac tædia noſtri
Te capiant: Tibi nec diſſimulandus ero.
Non hæc letheis demerſa ferentur ab vndis
Promiſſa: haud poterit noſtra perire Fides.
Ne dicar tuus, haud oberit mihi crimen Amorem
Moribus, & diſcam demeruiſſe tuum.
Patruus vſque oculis nobis vigilantibus hæres,
Luminibus Patruum ſomnus, & ipſe refert,
Pro Te, quæ fundo, mihi vota Æterna ſuperſunt
Teſtatur noſtri pectoris illa fibras.
Ah ego, ſi quandoque fui Tibi cauſa doloris,
Lætitiæ poſthac cauſa ero ſępè tuæ.
Ipſi Te Proaui exorent, quos deneger hæres
Moribus haud certè, dedecorabo meis.
Te, modo qui exorti, per pignora cara Nepotum,
Perque tuis precibus Numina culta precor,
Te per triticea clauſum ſub fruge tonantem,
Quem populo ſueſti diſtribuiſſe frequens,
Partheniam Te per Matrem, Vernante Iuuenta
Cultu abdixiſti, cui ſacra corda pio.

Septima

Septima, cui ſemper dum Lux ſacrata recurrit,
Libas nil, Cererem preter, & amnis aquam;
Des veniam Tibi iucundam, nec ægra Senectus,
Sic tria facundi, ſit Tibi ſæcla Senis.
Sic Patrui ante pedes ludat numeroſa Nepotum
Copia; Franciſci, quæ ferat Ora mei,
Sic noſtros poſtquam addiderint Tibi Sidera Soles
Sublimi Regnes Celſus in Arce Poli.

